

S. AVGVSTINVS.



Fecisti nos DOMINE ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Lib. 1. Confess. c. 1.



**Lectio ij.**

**I** Deo lumbos nostros accinctos esse voluit, & lucernas ardentes. Quid est, lumbos accinctos? Declina à malo. Quid est lucere? Quid est lucernas ardentes habere? Hoc est: Et fac bonum. Quid est quod adjunxit & ait: Et vos similes estote hominibus expectantibus Dominum suum, quando veniat à nuptiis: nisi quod in illo Psalmo sequitur: Inquire pacem, & sequere eam? Hæc tria, hoc est, abstinencia à malo, & operatio boni, & spes præmij æterni, commemorata sunt in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est: Quia docēbat eos Paulus de continencia, de justitia, & spe vitæ æternæ.

**Lectio iij.**

**A**D continenciam pertinet, sint lumbi vestri accincti: ad justitiam pertinet, & lucernæ ardentes: ad expectacionem Domini pertinet, quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc est continencia, hi sunt lumbi accincti: & fac bonum, hæc est justitia; hæc sunt lucernæ ardentes: quære pacem & sequere eam; hæc est expectatio futuri sæculi.

Ergo similes estote hominibus expectantibus Dominum suum, quando veniat à nuptiis.

**Oratio.**

**D**A quæsumus omnipotens Deus: ut beati Patris nostri Augustini Confessoris tui atque Pontificis, quam prævenimus veneranda sollemnitas, & devotioem nobis augeat & salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

**Si hæc Vigilia venerit in Dominica, Officium de ea fiet Sabbato, & in Laudibus fit commemor. sancti Zephyrini, Antiphona. Qui odit. V. Justus ut palma. ut in Comuni. xx.**

**Oratio.**

**P**Ræsta, quæsumus omnipotens Deus, ut beati Zephyrini martyris tui atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum nostrum.

**Romæ autem & alibi, ubi festum S. Ludovici celebratur die xxvj. Augusti, Officium dicetur de illo, cum nona Lectioe de Homilia Vigiliæ taliter occurrentis, & commemoratione ejusdem in Laudibus, ac S. Zephyrini martyris, ut supra.**

